Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Quid te latet patris? Quid te latet in patre, quem
non latet pater? Que opera et maiora. aut quibus
operibus maiora sunt que demonstraturus est? Cum enim
dixit maiora his, debemus prius intellegere quibus
maiora. Recordemur unde iste sermo pro-
cessit. Quando curatus est ille qui xxxviii. an-
nos habebat in infirmitate, et iussit eum
saluum tollere grabatum suum et ire in domum
suam. hinc iudei commoti cum quibus loquebatur.
uerbis iacebat intellectus. quodammodo innuebat
intellegentibus. celabat irascentibus. Hinc
ergo cum essent commoti iudei quia hoc sabbato
dominus fecerat. dederunt occasionem hunc. Non
ergo sic audiamus hec tamquam obliti que superius dicta
sunt. sed respiciamus illum languidum xxxviii.
annorum subito factum sanum. Admirantibus
iudeis et irascentibus. qui querebant tenebras
de sabbato. quam lumen de miraculo. his ergo
admirantibus loquens ait hoc. Maiora his
demonstrabit ei opera. His maiora. Quibus?
Quod uidetis hominem sanum factum. cuius lan-
guor durauerat usque ad xxxviii. annos.
His maiora pater demonstraturus est filio. Que sunt
maiora? Sequitur et dicit. Sicut enim pater susci-
tat mortuos et uiuificat. sic et filius quos
uult uiuificat. Plane maiora sunt ista.
Valde enim plus est ut resurgat mortuus
quam ut conualescat egrotus. Maiora sunt
ista. Sed quando ea pater demonstraturus est filio?
Nesciebat ea filius. et ille qui loquebatur non nouerat
mortuos suscitare? Adhuc discere ha-
bebat suscitare mortuos. per quem facta
sunt omnia? Qui fecit ut uiueremus qui non eramus. ad-
huc habebat discere ut resuscitaremur? Quid
est ergo quod uult dicere? Descendit enim ad nos.
et qui paulo ante loquebatur ut deus cepit loqui
ut homo. ipse est tamen homo qui deus. Et quia deus factus
est homo. sed factus quod non erat. non amittens quod erat.
ergo accessit homo deo. ut esset homo qui erat deus. non
ut et homo esset et non esset deus. Audiamus ergo illum et fra-
trem quem audiebamus conditorem. conditorem quia uerbum
in principio. fratrem quia natus ex maria uirgine.
conditorem ante abraham. ante adam. ante terram
et celum. ante omnia corporalia et spiritualia. fratrem autem
ex semine abrahe et tribu iuda. ex uirgine
israhelitide. Si ergo nouimus hunc qui nobis loquitur
et deum et hominem. intellegamus uerba dei et hominis. Aliquando
enim talia nobis dicit que pertineant ad ma-
iestatem. aliquando que pertineant ad humilita-
tem. Ipse enim excelsus qui humilis. ut nos
humiles faciat excelsos. Quid ergo ait? De-
monstrabit mihi pater his maiora ut uos
miremini. Ergo nobis est demonstraturus
pater. propterea dixit ut uos miremini. Expo-
suit enim quid uoluit dicere. Demonstrabit
mihi pater. Quare non dixit demonstrabit nobis
pater? sed demonstrabit filio. Quia membra su-
mus filii. Et cum nos membra tamquam quid discimus.
ipse discit quodammodo in membris suis. Quomodo discit
in nobis? Quomodo patitur in nobis? ex illa uoce de
celo. Saule saule. quid me persequeris? Nonne
ipse est qui iudex in fine seculi residebit. et ius-
tos ad dexteram ponens. iniquos autem ad si-
nistram. dicturus est. Venite benedicti patris